

STAMPALIA

51  
140

V I T A  
DEL SERENISSIMO  
BERTVCCI  
VALIER

Doge di Venetia.

Per Idea d'vn' Ottimo Principe.

*DESCRITTA*

DALL'ABBATE ORAFI

Elemofinier, e Predicator Ordinario della Maestà Christianiffima.

*DEDICATA*

*All' Illuſtriſſimo, & Eccellentiffimo Signor Cavalier*

DOMENICO ZANE.



IN VENETIA, Per Gio: Pietro Pinelli, MDCLIX.

CON LICENZA DE' SUPERIORI.



Ne credas extinctum Bertucium licet detonantem non audias.  
Silet, ut Patriae negotia meditetur.

Jus. Bionus sculp. Venetiae 1664

In Funere Serenissimi Venetiarum Principis  
**BERTVCCII VALERII**  
 Oratio

HABITA A P. D. STEPHANO COSMO  
 Congregationis e Somaſca . In Ducali Cancellaria Lectore .

CORAM AVGVSTISSIMO SENATV .



*I*tane Valeriæ Serenitatis e Veneto Cælo fulgor  
 euanuit ? Itane Veris initio, quo tellus erum-  
 pit in flores, Principum florem amiſimus,  
 & primæua amenitatis tempora omnium hi-  
 laritatem animorum extingunt ? Glorioſiſ-  
 ſime Princeps, Princeps Glorioſiſſime ! Re-  
 gium publicæ maiestatis inſigne, ideo ſumpſeras, ut in eo tam  
 celeriter morereris ? Supremæ fastigium dignitatis ideo atti-  
 geras, ut ſuperos adires, cum nihil in terris ſupererat, quo  
 poſſes extolli ? Honorum ideo ſummam ætate vegeta, raro  
 exemplo, adeptus eras, ut annorum numerus Tibi, noſtris que  
 gaudijs, infelici heu nimium uſura, detraheretur ? Cùm Te  
 Regiæ Nobilitatis conſenſu, omnium ordinum gratulatione,  
 Principem Numinis prouidentia renunciauit ; beatam illam  
 diem, publicæ felicitatis auſpicem boni omnes conſalutarunt .  
 Famæ iudicium, hominum vota in Te collatus honor ipſe com-  
 probauit . Vidimus Arma Triumphis, Togam ſplendore, Po-  
 pulum Annona, cunctos incredibili humanitate tua, proſperi-  
 tatis, & gloriæ verticem inſediſſe . Sed ò volucrem Fortunam !  
 O ſpem exitu luctuoso degenerem ! Si breui adeo temporis uſu-  
 ra publicæ ſalutis gubernaculis præeſſe debuit **BERTVCCIVS**  
**VALERIVS**, prope eſt, ut exclamem, non tanti fuiſſe .

H Extre-

Plaut. in  
Ruden.  
apud Sen.  
lib. 7. con-  
trou. 6.

Extrema est miserie maximam felicitatem in transitu degu-  
stare: Quemadmodum prateriti mali memoria iucunda, ita  
amissi boni acerbissima. Miserum verbum, ac pessimum est,  
Habuisse: Acriusque tormentum est carere diuitijs, cum illas  
iam senseris. Et quò felicior fuit dies, qui VALERIVM  
Reipublice imposuit, eò miserior, qui eripuit. O asperrimam  
sortis nostrae conditionem! Quod ceteris summum est bonum;  
Optimus Princeps, nobis miserrimum est: Optimum non sensi-  
mus, nisi ut doleremus: Virtutum omnium cumulum in  
BERTVCCIO suspeximus, amauius, ut eo citius sublato,  
tristissimo desiderio animus excrucietur. Audi, Serenissi-  
me Valeri, doloris nostri liberam vocem. In hoc uno penè reus  
es, quòd non diutius imperasti. Vel Princeps esse non debueras,  
vel immortalis.

Verum abite querela, grauissimo quidem merori nostro iuste,  
sed summis VALERII virtutibus prorsus iniuria. Breui li-  
cet nobis Princeps affulserit; apud se tamen ampliori annorum  
numero Principatum exegit. Neque enim (credite) tum Prin-  
ceps esse cepit, cum Veneti Ducis ornamenta suscepit: Totius  
vita excursu, si rectè estimamus, Princeps fuit regia virtute.  
Supremus Reipublice apex circa ipsum, alter in ipso: Hic opus  
virtutis, ille fortune famulatricis; Hic pro merito, ille fuit  
pro mercede. Quae duo cum breui oratione ostendero, perorauero.

Cic. 3. de  
Fin. Laet.  
in Zenon.  
Athen. l. 6.

Regia dignitatis gloriam non externis insignibus, sed arcano  
animi cultu contineri, seuerioris Philosophiae dogma fuit; Ex  
qua prodijt veluti ex cortina decretum, Solus Rex sapiens.  
Imò quae in Epicureis hortulis floruit mollior philosophia, à Sy-  
ria Rege Alexandro Coronam maluit petere, quam expecta-  
re; Ambitus ne an virtutis argumentum? cuius fronti Virtu-  
tis esset imago depicta. Ego sanè quamquam non audeo cuique



*Sapientia in schola Thronum erigere; certas tamen opinor, ac nobiliores esse virtutes, quibus tamquam gemmis, latentis cuiusdam maiestatis diadema distinguitur, atque illustratur. Praeclarè ut cetera vir eximius; Non cultus exterior, sed interius habitus, & mens regia, regem facit. Hic verò (Sancte testor P. C.) mihi in totam VALERII vitam intuenti illud primum iuxta, ac maximum occurrit, nihil in ea reperiri, quod aut omittere possit, aut silere debeat lingua Oratoris. Ut praclarissimæ vitæ historica narratio abundè sit pro panegyri, quam qui fideliter memorauerit, ille copiosissimè laudasse videatur. Quod enim in ea vel laude vacuum, vel virtute sterile momentum fuit? Usque adeo BERTVCCIO VALERIO omnia temporis puncta fuere incrementa virtutis, seges aternitatis. Proprijs igitur nostri Principis laudibus essem iniurius, si amplissima, aliena tamen, Valeriæ familiæ decora in eius commendationem accerserem. An verò Auitæ Aquilæ, sicut olim Troianus Heros Columbae, ductu in Antiquam Heroum syluam, hoc est, in Romanam Rempublicam proficiscar, in qua Valeriæ Domus triumphalis arbor, hinc fasces consulares, inde trabeas, hinc paludamenta, aureis suspensa ramis ostentat? An eandem admirer in Venetam Urbem uberiori prouentu translata, ubi quot Curiae sapientes dedit, tot pretiosos edidit fructus suauissimæ maturitatis? Possent sanè Principis honorem BERTVCCIO vindicare, vel ex familiæ insigni, hoc est regia Aquilæ; vel ex Senatoria maiorum Purpura; vel ex Vaticano murice (Principum voto) qui gentiles eius heroas semel, atque iterum exornauit. Possent & illud fortè in Veneta Republica singulare à vestris oculis repetere, P. C., quòd duo fratres VALERII, Serenissimi Principis Patruus, ac Parens, Patauinam Praturam non interrupta letitia, geminato honore,*

Petrarca  
 de remed.  
 vtriusque  
 Fort.

Virg. in 6.

alter in alterius manum tradidit, finem potestatis alterius frater excepit, neque aliud grauissimo regimini interuallum permissum est, nisi quod finiretur.

Verum haec omnia praestantissima licet, regnum illud quod in animi cultu situm est, conferre nequeunt, quia aliena sunt. Planetarum Princeps ingenita fulget luce, neque ab alio sidere luminis regium Diadema mutuatur. Quam aptè de VALERIO quod in alio commendauit Ennodius, Usurpare licet! Fulgorem stirpis praecipuè morum radijs illustrauit, vincens decorem sanguinis, dum coruscantem generis sui lampadem, actuum SERENITATE transcendit. Sed quis solis radios enumeret? Quis Valerij virtutes prosequatur? Dicam ne ipsam ab orientis aetatis exordio, incorrupto candore, perpetuam morum innocentiam coluisse? Regiam sibi Purpuram adornauit; cum nouum non sit, si Philosopho credimus, niues reperiri purpureas. Dicam ipsam unius sapientiae amorem in sacrum pectus admisisse? Sceptrum sibi peperit, cum sapientissimi Regis monitu, sapientiae beneficio sceptrum comparentur. Dicam illi perpetuo in delitijs fuisse in eruditorum libris compendia literarum? Diadema sibi fronti circumdedit, si olim ex eadem materia libros, & regum Diademata contexebant. Dicam illum intra leges Astreae numquam exerranti iudicio se poluuisse? sibi solium erexit, ut enim ex diuinitatis Oraculo discimus, solium Iustitiae firmatur.

Si haec dixero, Principis quidem dignitatem in VALERII animo absolutam satis ostendero: Verum quot, & quanta dicenda supererunt? Nimirum tam multae sunt BERTRICII virtutes, ut ibi demum incipiant, ubi desinere videntur. Gestauerit olim vestem Syderibus distinctam De-

Ennod.  
Ticin.

Arist. l. 5.  
Hist. Ani.  
1. 19.

Sap. 6. 22.

Athen. l. 12.

Sap.

Alex. ab  
Alex.  
Aufon. in  
Paneg.

metrius, gemmis oneratam Caligula, maiorum suorum im-  
 ginibus variegatam Gratianus; mysterijs Apocalypseos inscri-  
 ptam Orho Imperator. In solis vel syderum similitudinem in-  
 duti processerint Reges Ægyptij, in Æoli speciem Elius Verus,  
 in formam Apollinis Nero, ad aliorum numinum exemplar  
 non pauci Romani Imperatores. **BERTVCCIUS VALE-**  
**RIVS**, ut se principem ostentaret, non aliam voluit vestem,  
 quam innumeris morum illustratam insignibus, non alio, quam  
 virtutis habitu decorari. Quoniam verò patior ex copia dif-  
 ficultatem eas potissimum virtutes seligere fert animus, quæ  
 sicut Principis maiestatem propius commendant, ita in **VA-**  
**LERIO** miraculum eluxere: Ceteras autem integras, at-  
 que illibatas vestris cogitationibus reseruare. Alexander ille,  
 cui minor orbis magnitudinem auxit, Coronæ habuit quattuor  
 terræ partes inscriptas cum lemmate **Rex Regum**. Videor mi-  
 hi non inconcinne nostro Principi Regium Diadema circumdare,  
 si quatuor virtutum Magnificentia, Eloquentia, Prudentia,  
 Humanitatis, glorioso ambitu coronetur.

Magnificentia sanè nascitur, atque nutritur in Purpura.  
 Ut egregie Chrysostomus dixerit: Si quis Principem laudare  
 vellet, nihil illi adeo decorum adscriberet, quam ma-  
 gnificentiam. Nihil maius habet regia fortuna, quam ut  
 possit, nihil melius, quam ut velit munificentia opera propa-  
 gare. Scio Nilum à Mose sanctissimo quatuor principibus flu-  
 uij accenseri, non modò quòd sicuti Principes mentem, ita  
 Nilus caput habet incognitum; Verùm quia ubertatis pa-  
 rens, serenos imbres Ægypto affert, glebisque amabili licen-  
 tia superfusus, tellurem dum obruit, fecundat. At verò  
 quam late radios in **VALERIO** diffudit magnificentia,  
 quam magnifice triumphauit? Illius regiam hanc virtu-

Baron. an.  
1001.

Alex. ab  
Alex. loc.  
exp. tit.

Orat. este.  
par. 2.

tem numquam intueor, quin menti recurrant Persarum Reges cognomento Longimani, nobiles Heroum animæ quibus numquam sat erat, quod erogarent. Quod si regibus mos est, excendis inuigilare metallis, ut latentia naturæ bona in usum arcessant: Quis id præstitisse neget Principem nostrum, qui in publicæ maiestatis, vel usum, vel gloriam effusissimè aurum eduxit? Illud verò quod aureum Os eloquentiæ enarrat, nationes quasdam Aquila VALERIA non fulminis, sed diuitiarum ministra conspeximus? Video hic vos P. C., illius amplissimæ legationis memoriam renouare, qua BERTVCCIVS VALERIVS Venetæ in se Reipublicæ Maiestate transfusa, Serenissimum Cardinalem Catholici Regis fratrem Orator consalutauit. Viuit adhuc in hominum animis dies, qua cultissima vestium pompa, lectissimo nobilitatis flore, ingentis auri profusione triumphanti similis, Mediolanensium oculos in solito spectaculo, vel præstrinxit vel recreauit: Habuit tunc Hispana amplitudo, quod in Italia miraretur: Reticuitque gentilis T. agi gloriam, Poetarum carminibus, quàm aureis arenis pretiosorem; dum vidit aureos è VALERIAE munificentiae fonte riuos effundi. Sed quam Purpurato Principi Regiam virtutem ostendit VALERIVS, Romam, hoc est, in diuinæ Religionis, atque humanæ theatrum maiestatis adduxit, cum Innocentio X. primum, mox Alexandro VII. pietate, prudentia, ac literarum cultu ter maximo, in splendidissima Procerum Legatione, Serenissimæ Reipublicæ humillimum probauit obsequium. Vidit tunc Roma regalium virtutum certamen nec dicam, an fædus? Magnificentiae, ac demissionis: Illa Venetos Heroes euexit: Hæc ad Pontificios pedes deiecit: Illa in pompæ splendore, enituit hæc in obseruantiae significatione: Am-

Anast.  
N. cen. ex  
Chrysol.

bigeres

biger  
celsa  
ad sa  
V  
Vidi  
Aua  
precio  
quent  
nis eo  
fere in  
admo  
bueba  
mel P  
statua  
Princ  
dum  
uincis  
que li  
animi  
Delin  
quàm  
ut ac  
puteti  
cundia  
potiùs  
per om  
nij cel  
mathu  
atque  
tie N

*bigeres ultra magis Oratorum maiestatem extulerit. Adeo excelsa res est pietas, ut magnificentiam ipsam amplificet, atque ad summum efferat, dum ad summi Praefulis vestigia deuoluit. Verum non minus magnifica fuit eloquentia VALERII. Vidit olim Graecia Berofi statuam in aurata lingua conspicuam. Audiuit Italia auream BERTVCII VALERII linguam precio, & grauitate mirabilem. Singulare Principis decus eloquentiam esse quis nesciat, si modò mente reuoluerit, vel Athenis eosdem fuisse Principes, ac Oratores, vel Romae neminem fere imperio excelluisse, qui non praestaret eloquio; ita ut quemadmodum ex muricis ore liquor effusus Principum vestes imbebat; ita ex ore manantis eloquentiae humor, regiam non semel Purpuram colorarit: Et plerisque fuerit, ut de quadam statua memorat Pierius, lingua pro Sceptro. Salue VALERII Princeps Auguste, non enim alio te licet nomine compellare; dum vel apud summos Principes Orator, eos aurea catena deuincis, vel summus sapiens in Curia Senatum trahens quocunque libuerit, amabili Imperio dominaris. Inflammandi sunt animi? Fulmina ipsum diceres ab Aquila sua mutuatum. Deliniendi? In eius ore crederes Apes mellificasse. Quàm acris, quàm suavis dicendi vis! ut lepore tineta, ut figuris ornata, ut acuta sententijs, ut rerum pondere grauis! Neque enim putetis eam fuisse naturae indulgentia inditam VALERIO facundiam, ut absq; ullo honestarum artium praesidio sermo ipsi potius in ore, quàm in corde nasceretur. Iam ab ineunte aetate per omnium scientiarum, quae Principem decent, cursum ingenij celeritate traductus, ijs ita pectus impleuit, ut sicut Hermathenam Academiae suae praeponit Tullius, idest, Palladis, atque Mercurij simulacrum, sic in Senatu sapientiae, ac eloquentiae Numen VALERIVS videretur. Caelum erat eius oratio,*

Plin. lib. 7.  
c. 38.

Pier.

non magis harmonia, quam scientiarum luminibus admirabile: Flumen eloquentiæ; sed illis consimile, quæ margaritas ferunt; gemma erat eius lingua; cerauniam dixeris, perinde facundam, ac pretiosam. Sed silere modò tubes eloquentiam, *VALERI*, quam adeò mirificè coluisti. Tibi sat est commune illud omnium elogium, Te superiorum Principum gloriam æquasse, eloquentiam omnino vicisse.

Sed dum dicta memoro cur facta reticeam? Consilia loquor, P. C. mentis propè diuinæ sobolem, quibus Reipublicæ in specula, ab ipso adolescentiæ flore constitutus, maiestatem Imperij, Patriæ salutem, belli, pacisque molem, ineluctabili spiritus vigore sustinuit. Mirum erat in *VALERIO* mentis, ac linguæ commercium, ut non magis facundè loqueretur, quam rectè sentiret. Nervorum paria, si peritis est fides, ad linguam in locutionis officium, à cerebro deducuntur. Eiusmodi erat in Principe nostro societas, ut nervosa, ac potens eloquentiæ vis à mentis consilio in linguam deriuaretur. Hæc sanè, Stagirita teste, propria imperantis est virtus Et plura in summa fortuna, consilijs, & auspicijs, quam telis, ac manibus geruntur; politica Oraculum pronunciauit. Respublicæ enim, atque Imperia, sicut olim in Romæ fundamentis humanum caput reperiuntur est capite potius quam manibus innituntur. Quàm Sapiens fuit mens Ægyptiorum! Qui in serpentis, orbe quodam in se redeuntis medio veluti centro, regis nomen collocarunt. Nempe propria Principis sphaera, prudentia est. Quantum hæc in te virtus effulserit, *VALERI* Serenissime, loquuntur amplissima munera, ac Magistratus, quibus continuata quadam serie, virtus semper vegeta exercebatur. Vix Bergomum Præfectus rexeras, iam Continentis sapiens politica Imperij administrationi admouebaris: Vix in Urbano Magistratu

Arist. 3.  
polit.

Tacit. 13.  
Annal.

Plen.

tura ciui  
censebari  
iam trab  
Vix in  
rentiam  
suffragia  
parem a  
Magistr  
re, cun  
Veru  
quibus à  
ma tant  
res secun  
inflet: a  
nitatis.  
humilis  
verò Pr  
se ad ha  
sublimis  
bius eue  
& quo  
est. Su  
gna ast  
amplitu  
*VAL*  
manita  
auribus  
ex Pri  
liaritat  
gnes ij

tura ciuibus dederas, iam inter sexuiros Senatus sapientes re-  
 censebaris: Vix Supremi Foriulij Prouisoris munus obieras;  
 iam trabeatus in Patria intermissi habenas regiminis resumebas:  
 Vix in Republica honorum omnium copia florueras, iam Flo-  
 rentiam ad pacis, belliq; consilia mittebaris. Tot dignitatum  
 suffragia augustam VALERII prudentiam negotijs omnibus  
 parem abunde testantur, in ea precipue Republica, in qua  
 Magistratum tenet Virtus laureata, & sicut humano in corpo-  
 re, cuncta mentis numine gubernantur.

Verum neque arcana virtutes, neque splendida dignitates,  
 quibus à ceteris mortalibus late secernebatur, aliquid ex sum-  
 ma tanti Herois benignitate detrahebant. Mutant animos  
 res secunde: & rarus est, quem adspirantis aura fortuna non  
 inflet: ac plerumque qui supra homines est, obliuiscitur huma-  
 nitatis. Officiosa demissio aliena videtur à Principe, atque  
 humilis Virtus thronum collocare in priuata fortuna. Imò  
 verò Principis est; nullus enim, vel laudabilius, vel facilius  
 se ad humanitatis leges inclinat, quam qui minus debet, ac  
 sublimis est. Aurum inter metalla pretiosissimum non super-  
 bius euehitur, sed alijs quodam se nature genio submittit:  
 & quodcumque corpus se sponte sua ceteris praefert, id leuius  
 est. Supernis mentibus similem Principem dixeris quae ma-  
 gna astra implent, & curant, sed intra spatij punctum sine  
 amplitudinis iactura facillime contrahuntur. Fuit haec in  
 VALERIO virtus supra fidem, ac supra famam. Quae hu-  
 manitas in alloquio, quae suauitas in vultu, quae benignitas in  
 auribus, quae in risu blanditia! Quàm sepe in socium migrabat  
 ex Principe; atque incorrupto maiestatis honore ad ima fami-  
 liaritatis officia descendebat! Quos etiam ferreos animos ma-  
 gnes iste non traheret? Rapuisti Serenissime VALERII

omnium mentes, & corda in admirationem, & amorem tui: illud fuit amplissima virtutis, istud humanitatis: & dum ambigimus utri magis debeas supremum Ducis fastigium, videmus utramque in commune bonum conspirasse, dum illa tibi Principatum meruit, ista conciliauit.

Triumphate populi, plaudite Ciues, dum in **BERTVCCIO VALERIO** sacer virtutum chorus regio insidens solio non unius tesseram affert fœlicitatis. Hic Titus est, quem generis humani dixere delicias: quis enim humanior? Hic Augustus, cuius acerrimi vim iudicij Roma suspexit: Quis illo prudentior? Hic Caesar, qui facundie laude inter ceteros Imperatores effloruit: Quis eloquentior? Hic Alexander, quem magnificentia uno non contenta orbe magnum fecit: Quis nostro Principe magnificentior? Mitto hic memorare P. C. quanto consensu sine rivali, qua ætate, insolito exemplo, summo fuerit inauguratus imperio: cum sua virtutes iunxere suffragia, ut si quid per annos, vel per fortunam deesset, abunde compensarent. Mitto ipsius aduersam valetudinem Principatus initio nostra gaudia doloris confinio lesisse, ut disceremus eam maximam esse fœlicitatem, quam Superum prouidentia, ut assolet, perfuso veluti felle corrumperet. Eloquentiam pretereo, qua Principum Oratorum oculos, aures, animum pascebat; & licet magno iam nomine Europam omnem impleisset, maior apparebat, quam soleret prædicari. Neque dicam ipsum nihil aliud Principis sumpsisse, nisi curam, atque vigilias, adeo frequens in Collegio, in Senatu, ut non otio, sed laboris mutatione resciri videretur. Eò contendit Oratio, ut **VALERIVM**, nouum veluti sydus illuxisse ostendat in publica prosperitatis omen, & boni communis incrementum; quò intelligant omnes maius à **BERTVCCII** fortuna habuisse

Rem-

Rempublicam, quam ipsi dederit.  
 Non loquor libertatem annonæ, qua fertilem annum, gra-  
 nummo vidit antiquitas, Aquila Cornucopiam, quod olim in  
 la **VALERIÆ**, ac Veneti Ducis insigni affluentiam iucunda  
 societate copulatam. Armorum felicitatem loquor P. C. qua  
 immortalis hæc Respublica potentissimas Turcarum vires euer-  
 tit, æternamque Veneto nomini decus comparavit. Vivit, vi-  
 uetque in æternitate temporum gemina illa Victoria, quam duo  
 belli fulmina, Laurentius Marcellus, ac Lazarus Mocenicus.  
 de barbararum gentium ferocia reuexerant. Altera, qua ad  
 Abydenas angustias, otioso ferro, non prelio, sed triumpho  
 Othomana Classis abacta, expugnata, deleta, omnem fugæ,  
 omnem saluti locum, omnia sibi sensit præter inferos esse con-  
 clusa. Tunc Venetorum virtuti paruit Ægeum Mare; succu-  
 buere errantes Cyclades, & proxima Byzantio Insula trium-  
 phalia Adriaci Leonis signa adoravit. Tunc maximus Orien-  
 tis Imperator, qui Respublicæ dignitatem ante despexerat, fre-  
 mere victus cepit, & dum Creta catenas parabat injicere, sua  
 in Regia didicit trepidare. Nonne hæc tuorum temporum fæli-  
 citati impietabimus Serenissime **VALERI**, cum magis Princi-  
 pum fati, quam multum armis bella gerantur? Quid enim  
 barbarum hostem tumentem audacia, lymphato similem egit in  
 fugam; quid aura adspirantis mervit obsequia, quid elementa  
 vœtigalia habuit, nisi **VALERII** Principis fortuna, que  
 tam rebus inanimis, quam Ciuibus imperaret? Quam præcla-  
 ram **VALERIO** sæculo vetus prodigium renouari, quo penes  
 Leonem, & Aquilam Luna tremere visa est, dum Aquila  
**VALERIÆ**, Venetique Leonis fœdere Othomana Luna, non  
 in vexillis modò, verum etiam in ipsa Byzantina Imperij sede

Aldourand.  
 Ornithol.  
 l. 2.

Aldourand.  
 Ornithol.  
 l. 2.

Plut. in  
Dione.

contremuit? Quod si olim, teste Plutarco, dum Aquila hastam e manu militis abstulit, atque demisit in pelagus, extremum Dionysij Tyrannidi imminere fatum vates asserueret: quid liceat, dum nostri Principis Aquila Turcarum arma à victis extorta, in Ægeum deiecit, nisi Thracis tyranni excidium ominari?

Quid de altera Victoriâ dicam, qua pugnacissimos, ac prælijs non minus, quam furtis expertos milites Mancenici herois virtus bellica triumphavit? Quid de eiusdem Victoriâ successu, cum munitissimam arcem eodem tempore oppugnavit, evertit? In istius etiam gloriæ societatem se offert VALERIA felicitas: sibi multam ex ea Principis fortuna decerpit. An non Sapientissimi Principis triumphum immortalium coronam præcingant, cui, ut olim Regis Angli Diademati, Victoriâ, & Sapientia inscribatur? Verum non auspicijs tantum, sed magnificentissima largitione, non ferro, sed auro utilis bello consuluit; neque dubitavit post effusissimas expensas tot in legationibus, muneribus, ac Principatu, pietatem erga Patriam, iam morti proximus ingenti legato auri pondere comprobare. Non vereor, P. C. ne longior videar, cum sit maxime optandum, ut ea quibus publica maiestas, & gloria continetur, multa sint: Metamen aliò vocat doloris acerbitas, vertitque in lacrymas epinicia triumphorum. O nulla longi temporis felicitas! Heu breuem rerum humanarum sortem, que antequam portum teneant, medio in cursu abripiuntur! Gaudebamus Principis virtute ac fortuna; neque alia in Reipublica bonum concipiebamus vota, nisi ut de nostris eius anni auferentur, vitam ferret, quam Religionis hostes amiserant, viueret nobis, viueret posteris, & quia felicitissime, diutissime etiam superesset Imperio. Verum plus meruit VALERIVS, quam nos mereremur: ter-

Theatr.  
Vit. hum.

ris cum Civium preces, astris virtutum merita destinabant; ille, ut diuturnior hominum recreator; hac ut maturior Superum comes existeret, deposcebant. In hac concertatione, suspensaque iudicio, illuxit dies; an nox incubuit? bonis inuisibilis, funesta Reipublica, omnibus luctuosa, quae Principem nostrum angustijs corporis eripuit, ut novum sydus infereret Caelo, temporis ademit, ut consecraret aternitati, Aquilamque VALENTIAM Caelesti similem faceret, quam in lactea Heroum via contemplamur.

Quam haec non absint à vero, nec sint mulcendis superstitionum animis conquesta, vos testor, qui extremo laborantem morbo Principem conspexistis. Nouerat praeclarè VALENTIVS, quam deceat, quod optimum est ab optimo coli; quod imperat ab imperante: quod est in Sole lux, in adamante fulgor, in oculo pupilla, animus in corpore, hoc esse in Principe, Pietatem. Grauisimo itaque conflictatus malo, dispendia valetudinis fecit compendia virtutis, collectosque in epilogum animi affectus supremo Numini obtulit, ac se ipsum omni sceleris labe purum, sacro Caelitum pane recreatum, extremo suavissimè oleo perfusum, victimam immolauit. Quid referam ipsum etiam in postrema vitae periodo Principis nomen impleuisse, dum ad Reiparatoris nostri sub-Eucharistico velo latentis vestigia iussit (cum se ipse non posset) augustum illud Veneti Ducis insigne deuolui. Veneror nunc Serenissime VALENTI, si unquam aliàs, praeclarissimum illum tuum Principis genium, dum video te descriptos in Apocalypsi Reges, qui ante Dei thronum coronas deposuere, planè regia demissione emulari. Ita vixit, ita decessit BERTVCCIVS VALENTIVS Venetae Reipublicae Princeps: & ne putetis eum in vitae confinio munificentiae suae oblitum aliquem in testamento praeteriisse, spiritum reliquit Cae-

Diogen.  
apud Laer.

Apoc. c. 7.

clo, tumulo exunias, omnibus desiderium sui, posteris Principis ideam, nomen eternitati. Te verò, Silvester Valeri Excellentissime Procurator, non magis splendidissima glorie, quam regia virtutis reliquit heredem. In te siquidem communi-  
 one naturæ non modò Parentis Augustissimi sanguis fuit derivatus in Venas, sed in mentem virtus ipsa transfusa; adeo ut in Te sepe gauderet veluti quodam in speculo seipsum intueri, ac proprio simulacro blandissime arridere. Videbat in nobilissima stirpe, animum nobiliorem; in amplissima fortuna, ingenite munificentie fulgorem; in suavissimis officijs humanum, in modestia augustum, in prudentia solertem; egregio in ore, spirantem virtutis hilaritatem. Maximas necesse est eas esse virtutes, quæ tanto Principi placere meruerunt. Nos verò, qui nihil in Te optare audemus, quem summi Herois censura probavit, ex Te solum ad Publici boni incrementum, VALERIE familie successionem cupimus, ut fortuna, quam Reip. VALERIVS attulit Principatus, prorogetur in ævum, tanti generis stemmata continuentur, & BERTVCCIUS ipse etiam ultra funus optima sui parte superstes maneat, dum suis in Posteris Veneti augebit Imperij felicitatem.


Hic verò acerbissimi doloris tui consolatio extremam funebris Orationis curam advocaret, nisi, ut ego quidem existimo, vel totius Urbis luctus, vel Parentis tui apud mortales, ac calites gloria meroris contumaciam deliniret. Quid enim ad tristitiam ex animo detergendam efficacius, quam omnium ordinum in BERTVCCIUM VALERIVM collate laudes, complorationes? Hæc enim publici doloris argumenta eò certius dant VALERIE virtuti testimonium; quò magis ab adulatione absunt, & quia sine teste sunt, & quia summus affectus fingi non potest. Quid ad meroris impatientiam compescendam

poten-

potentius, quàm cessasse quidem fero Principem quod necessitas est, regnare tamen in hominum animis, apud superos ( ut p̄ se credimus ) vivere, quod est summa felicitatis? Tu verò Serenissime BERTUCCI ex ea, quam incolis, Cæli parte ma-  
 ximi hæc tui in Patriam meriti monumenta, vocis obsequium, luctum, ac desiderium tui, letus suscipe, atque non interrupto  
 communis boni studio à D. O. M. regnorum moderatore illud  
 votorum summum exora, ut in diuturno hoc religionis bello  
 Reip. Tuae citò contingat, aut Pax, aut Victoria.



DICEBAM.



BIBLIOTECA

\*

\*